SPECIMEN

MEDICUM INAUGURALE,

CONTINENS

DOCTRINAM DE MORBIS CUTANEIS SECUNDUM HIPPOCRATEM.

AUCTORE

W. H. IDZERDA.

A x p

SPECIMEN MEDICUM INAUGURALE.

SPECIMEN MEDICUM INAUGURALE,

CONTINENS

DOCTRINAM DE MORBIS CUTANEIS SECUNDUM HIPPOCRATEM,

QUOD,

FAVENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE

RECTORIS MAGNIFICI

PETRI HOFSTEDE DE GROOT,

in Facult. Theol. Professoris Ordinarii,

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO,

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA GRONINGANA,

RITE AC LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO FACULTATIS EXAMINI OFFERT

WIGERUS HENDERICUS IDZERDA,

FRISIUS E PAGO RAUWERD.

A. D. XXVIII Februarii MDCCCXXXVIII. Hora XII.

GRONINGAE,

Apud W. VAN BOEKEREN, Bibliopolam.


WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE

H. R. IDZERDA,

MED. ART. OBSTR. ET CRIRURG. PRACTICO

PATRI OPTIMO, CARISSIMO

NEC NON

J. R. TIJL,

SOCERO FUTURO

Hasce primitias auctor grato
animo sacras facit.

PRAEFATIO.



Doctrina de morbis cutaneis, imprimis a recentioribus exculta est. Quae WILLAN *et* BATEMAN *summa cum industria elaborarunt, ea ulterioribus in arte salutari progressibus, emendata atque fundata sunt. Jam licet haec omnia plurimi aestimanda sint, negari tamen nequit, quin nunc hisce ipsis veterum doctrina de morbis cutaneis, per se jam obscura atque va-*

———

ga, majore etiam caligine induvetur. Dolendum, cum ex veterum scriptis etiam res perplures, fertiles, colligi possint, synonymorum imprimis nomenclatura confusa, aditum admodum cohiberi. Praeterea, quid est aetas hominis, nisi memoria rerum nostrarum cum superiorum aetate contexitur?

Haud pauci exstiterunt Clarissimi et Doctissimi viri, qui omnem navarent operam veterum doctrinae, ut nova antiquaque conciliarentur; plures etiam hocce respectu de morbis cutaneis doctrinam non neglexerunt. At, quae praestita sunt, dispersa hic et illic, neque pauca oblivioni tradita sunt. Placuit ideo, dispersa colligere, et pro virium tenuitate inquirere in ea, quae veteribus nota fuerint. Argumentum vero id difficillimum colligendo et digerendo tandem ita increvit viresque superavit, ut, tempore jam urgente, modo partem aliquam, continentem doctrinam Hippocraticam de morbis cutaneis. *ju-*

dicio tuo benevolo, L. H.! offerre cogerer.

Summas gratias Vobis ago atque habeo Viri Clarissimi, quos praeceptores habui in disciplina medica. Omnem enim, quaecunque sit doctrina, a vobis accepi, Professores Aestumatissimi! Vestra praecepta me eo duxerunt, ut jamjam pro viribus civitati salutaria exhibeam. Vobis ducibus, ad finem perveni, quem diu optavi. Neque tui hic immemor esse possum, Clarissime VAN HALL! *cum tantis officiis tibi devinctum me sentio. Vivatis diu felices in Academiae gloriam.*

Ne vos poeniteat, Reverendissime L. KIJLSTRA *ac Doctissime* D. KAN! *Quam, in me contulistis institutionem egregiam; in Academiam profectus, equidem persensi, quae vobis debeo utilia, neque hanc valedicens grata reticebo. — Gratus etiam vestra consilia recordor, Consultissime* J. G. J. VAN WAGENINGEN *ac Doctissime* VERSCHUIR! *quae mihi ex animo praebuistis.*

Ultimo quidem loco ad vos me converto, amici! Confidatis vero, vestram amicitiam vestramque familiaritatem ad ultimum mecum persistere. Salvete!

SPECIMEN MEDICUM INAUGURALE,

CONTINENS

DOCTRINAM DE MORBIS CUTANEIS SECUNDUM HIPPOCRATEM.

Ab eo tempore, quo Graeci in sapientiam inquisiverunt, plura placita condita sunt, quae postea et arti salutari mutuata sunt. Philosophi autem Medicinam, qua talem haud coluerunt, sed de omnibus rebus divinis humanisque ratiocinantes, de corpore humano etiam sermonem instituerunt sensu magis physiologico, si tali nomine mereatur haec inquisitio. Neque haec ab initio praxin artis dirigebat, cum, si de salute aut conservanda, aut restituenda, quaestio esset, viam empiricam in-

gressi sint, nisi fortuna, occasione aut traditione quid utile servaverint.

Primum Philosophi animum convertebant in tactus sensum, cum scirent vias ac rationes, quibus res externae in mentem intelligentem veniunt. In schola Italica, quam PYTHAGORAS condidit, doctrina de quatuor elementis tradebatur, et ad visum aetherem, ad auditum aërem, ad olfactum ignem, ad tactum denique terram pertinere docebatur. Neque placitum id tantum a veritate abhorret. — ALCMAEON, de quo certum est, hunc animalium cadavera dissecuisse, foetum per cutem alimenta sugere, auctor fuit. Ab EMPEDOCLE accepta est opinio: sudori ac lacrymis mixtionem esse e quatuor ignis ac terrae cum una aquae aërisque parte.

Plura hujusmodi hic et illic leguntur de doctrina cutis physiologica, quae singula, si enumerandae essent, opus nimis extenderent. Neque etiam mihi proposui colligere, quae de nonnullis morbis cutaneis, sive endemicis sive epidemicis, sive accidentalibus, ab auctoribus, artem medicam haud callentibus, obiter nobis communicata sunt; memorabilia modo propriis locis non praetermisi.

Prima fundamenta artis medicae, a vera *εμπειρια* pendentia, forte in templis, magis vero, postquam ars nostra, *exoterica* facta, in scholis medicis instrueretur, conformata sunt. E celebrioribus hisce, *Cnidia* ac *Coa* schola *veri* nominis medici prodierunt. At ab initio jam, cum primordia artis colligerentur, dissensio aderat, neque haec cessabit, nisi aliquando aditus in Naturae penetralia late pateat.

Coa schola medicos efformavit, plures nomine HIPPOCRATIS insignitos, horumque scripta, cum serioris aevi auctorum tractatibus alienata, etiam hodie haud sine fructu legimus. Haec morborum historias et curationes quam accuratissime notavit, et imprimis ad morborum decursum attendens, in prognosticis felix facta est. Illi aemula schola Cnidia subtiliter morbos distinxit, de causis atque eventu parum sollicita, et victus rationem magis negligens, graviora administravit remedia. Quemadmodum Coa schola prognosin, ita diagnosin schola cnidia coluit, minori vero successu in artis emolumenta. » Dixit paulo ante, tradit GALENUS, Cnidios medicos statim per initia de morbis plus quam deceat scripsisse, ita sunt bilis morbi septem, ad hunc autem modum ac rursum in

partibus inferioribus vesicae morbi duodecim; in iisdem quoque partibus inferioribus renum morbi quatuor, ac postea iterum vesicae morbi stranguriae tredecim, mox etiamnum deinceps tetani tres, posteaque uteri quatuor, praeterea denique tabes tres. Ad corporum enim varietates, quae multas ob causas immutabantur, respexerunt, praetermittentes affectuum identitatem perpendere, quemadmodum accurate perpendit HIPPOCRATES, ad eorum inventionem methodo usus, qua duntaxat morborum numerum invenire conceditur" (1). Fecerunt igitur Cnidii, quemadmodum plures systematici hodierni; priores vero minus accusandi sunt, cum per inductionem nondum tam facile in veram morbi naturam penetrare potuerint. In Cnidia schola primum fuisse studium, morbos in classes distribuendi, nullo tamen jure contendi potest (2).

---

(1) GALENUS.

(2) SPRENGEL, *Pragm. Gesch. der Arzneykunde* ed. 3. Th. I. s. 343. HIPPOCRATES, *in Libro de morbis acutis:* Varia tamen morborum singulorum genera multiplicesque illorum divisiones non ignorarunt quidam. At numeros morborum singulorum plane declarare studentes, non recte scripserunt. Neque enim quis facile numeret, si quis ex eo aegrotantium morbum aestimet, quod ab altera re qua-

Coa schola philosophica magis ratione a praemissis in sequelas transiit, attamen non raro post hoc ergo propter hoc conclusio, minus experientiae consentanea, facta est, quemadmodum ex ipsis scriptis hippocraticis, de eodem argumento agentibus, facile derivatur. Quae a tabulis votivis atque propriis observationibus Coa schola collegit placita, oracula dici merentur propter dictionis simplicitatem verborumque momentum. Fragmenta haec, ex singularibus observationibus orta, conservata invenies in *Prorrheticorum* libro primo atque *Coacarum praenotionum* libris, aliis interspersis atque emendatis, dextera atque eleganti hippocraticorum experientia, aliis vero, neque raris, manu germana ab integritate sua corruptis atque alienatis.

Familiam hippocraticam diu viguisse, probat Historia; ex hac vero HIPPOCRATES II plurimum celebratur (3). Quisnam etiam fuerit

dam differat, neque eundem esse morbum reputet, nisi eodem nomine nuncupetur. Mihi autem placet ut ad omnem artem animum attendamus. — Ad hunc locum, quae supra allata sunt, GALENUS commentatus est.

(3) SPRENGEL l. l. s. 357.

ille artis nostrae fundator e gente hippocratica, dicere cum Cl. ALIBERT haud dubito: »Les ouvrages d'Hippocrate allument l'amour de l'art dans tous les ames, ils sont placés sur l'ocean des âges, comme le type d'une perfection, qu'on veut vainement egaler" (4). — Ne vero credas HIPPOCRATEM anatomicum, physiologicum aut nosologicum; concursio e contra symptomatum empirica, hunc efformavit summum naturae philosophum; attamen quae de rerum Natura subtilitates in illius scriptis offendas, ne ipsi tribuas (5). Consentio Doct. DACIER dicenti: »HIPPOCRATE a imité dans son style la majesté des oracles, et il en a aussi l'obscurité, c'est à nous à percer cette obscurité pour l'entendre"(6). Id procul dubio probatum video in *Prognosticorum* libro; in hoc enim, simplici naturalique ordine placita illius apparent, e Prorrheticis atque Coacis praenotionibus repetita saepiusque correcta atque emendata. Eandem egregiam

---

(4) ALIBERT, *Nosol. Nat. Consid. prélim.*

(5) GRUNERI *Analecta ad antiq. med. Demonstratur Hippocratem cadavera non dissecuisse*, Vratislaviae 1774, p. 98.

(6) DACIER, *Les ouvrages d'Hippocrate*, trad. en fr. Preface.

doctrinam de prognosi statuenda praesertim exposuit in Aphorismorum collectione, cui perplura etiam manu aliena adjecta sunt. Neque minorem attentionem merentur observationes in Libro de aëre, aquis et locis, de morbis epidemicis aliisque.

In genuinis HIPPOCRATIS libris nil de cutis structura anatomica illiusque natura physiologica traditum est. Quaedam de epidermidis proprietatibus leguntur in Libro de *natura pueri*(7), nec non de pilorum generatione, incremento, colore, etc.; hic vero e judicio criticorum post HEROPHILI aetatem conscriptus est. De capillorum origine etiam disseruit auctor Libri *de carnibus*(8). Accuratius etiam de horum ortu e glandulis sebaceis locutus est, qui librum *de glandulis* composuit (9); praeterea

---

(7) HIPPOCRATES ed. F. p. 240 et 241. Ibidem et traditur: e cutis cicatricibus pilos non prodire.

(8) l. l. p. 252.

(9) l. l. p. 271. »Eoque modo reliqui corporis abundantias glandulae recipiunt et iis est alimentum accommodatum. Quare ubi uliginosae corporis partes, ibi etiam glandulae sunt. Quod hoc indicis constat, quoniam ubi

cutis utilitas finisque in Libro *de ossibus* traduntur (10). — De sudore hujusque in morbis significatione sparsim in veris HIPPOCRATIS scriptis sermo instituebatur.

Morbos cutaneos triplici respectu consideravit HIPPOCRATES, scilicet: sive sponte prodeant, sive abscessu motuque Naturae critico exoriantur, sive denique haud ita morbi, quam *foeditates* existant. — Singula huc pertinentia nunc examini submittam.

» *Λειχῆνες* et *λεπραι* et *λευκαι*, si juvenibus quidem aut pueris horum aliquid contingat aut sensim se prodens, diuturnitate temporis augeatur: in iis quidem *ἐξανθηματα* haec *abscessus* (*αποστασεις*) dici nequeunt, sed *morbi*. Qui-

---

glandula, ibi etiam sunt pili. Natura siquidem glandulas et pilos creat, ambo ejusdem utilitatis gratia. Illos quidem, ut quod influit, excipiant; pilos vero, ut e glandulis, quibuscum necessarie cohaerent, producantur et augeantur, etc."

(10) l. l. p. 277. » Ossa corpori firmitatem, rectitudinem ac formam praebent, nervi (tendines) vero flexionem, contractionem et distentionem. Carnes autem et cutis omnium colligationem ac connexionem."

bus vero horum aliquid subito multumque accidit, id certe abscessus dici possit. Oriuntur autem *λευκαι* ex maxime lethalibus morbis, *οἶον και ἡ νουσος ἡ φθινικιη καλεομενη. Λεπραι* vero et *λειχῆνες* atra bile fiunt. Quae prioribus contingunt et recentissima sunt, ea facilius curantur, tum quae in summe mollibus et carnosis corporis partibus nascuntur"(11). — Ex hoc HIPPOCRATIS loco facile nunc intelligitur doctrina illius de morbis cutaneis. Supponit materiam morbosam suo pondere in aliqua parte firmari non vero excerni, qua *ἀποστασις κατ᾽ ἀποθεσιν* nascitur, vel etiam in alicujus morbi solutionem materiam morbificam ad locum remotum externum excerni, qua *ἀποστασις κατ᾽ ἐκκρισιν* vel *κατ᾽ ἐκκροην*.

Λειχην procul dubio hic est *lichen* WILLANI, licet vera hujus delineatio e scriptis hippocraticis non pateat. Videtur ab HIPPOCRATE eadem classe quasi posita, ut lepra; imprimis vero postea a scriptoribus prurigo, lichen, psora et lepra una serie ponebantur, qua gradus diversi ejusdem morbi. Pertinet hic ad morbos ver-

(11) l. l. p. 114.

nales, dum alio in loco de febre sermo est, in qua *τα λειχηνωδεα ἐξαιρομενα* simul vel serius contigerant, id est, lichenes tuberosi aderant (12). Secundum CELSUM lichen graecorum papula est, quod nomen simul hujus exanthematis characterem indicat; PLINIUS quidem hanc *impetiginem* dixit, — ne tamen commisceatur cum morbo longe diverso, quem hodierni sub hoc nomine intelligunt. Omnes etiam Auctores recentiores uti DE GORTER, FELIX PLATER illi tribuunt sic dictas *pustulas siccas*, admodum prurientes, quas certo papulas dicere possumus. ALIBERT illum nomine, *Prurigine lichenoïde* s. *furfurante* insignivit; a WILLANO Prurigo in genus peculiare reductus est. Si nunc ad decursum hujus cutis eruptionis attendamus, qualem auctores tradunt, certo mirandum non est, hanc cum prurigine, psora et lepra una eademque serie collocatam fuisse; pruritus enim summus, cutis asperitas quaedamque squamarum species observantur. Lichen saepius pueros afficit; et hic ab hodiernis *strophulus* dicitur, qui apud WILLAN genus distinctum format. Eundem inter vernos morbos

---

(12) *De morb. epidem.* L. IV, 1127.

numerari posse, probat non solum observatio sed et *lichen tropicus.* Praeterea eruptio, quam saepius dixerunt perverse scabiem criticam, sive siccam, etiam lichenis species existit. LORRY jam accurate differentiam a scabie indicavit (13). — *Psydracia* J. FRANKII.

Λεπρα. Sequentem morbi casum legimus apud HIPPOCRATEM: Athenis quidam pruritu totius corporis praecipue tamen testium et frontis detinebatur, ac vehementer admodum vexabatur. Cutis toto corpore crassa erat, ac qualis in lepra videri solet, neque ulla ex parte prae crassitudine apprehendi poterat. Hic nullis remediis iuvari potuit. In Melum autem ad balnea calida profectus, prurigine et cutis crassitudine liberatus est, hydrope tamen periit (14). Ex hoc igitur casu leprae patet simultanea affectio capitis atque genitalium, quemadmodum etiam WILLAN tradidit (15). Etiam BATEMAN confirmat

---

(13) LORRY, *de morb. cutan.* c. III. p, 215.

(14) HIPPOCRATES, *de morb. epid.* L. V. p. 1144.

(15) *Die Hautkrankheiten und ihre Behandlung von* R. WILLAN a. d. Engl. von FRIESE, St. I. s. 62; St. II. s. 88.

observationem de pruritu increscente, cum tempestas mutetur, quae itidem in Hippocratico opere nobis conservata est (16). Hicce morbus nomen suum retinuit, cum *lepra graecorum* a WILLANO *vulgaris* dicatur, atque *lepra squamosa* FRANKII. Lepram contagiosam non esse, ex eodem loco, supra memorato, perspicuum est. Inter corporis foeditates etiam collocata est haecce cutis affectio, et hinc balnei usus laudabatur, quod usque diem in Egypto, Syria, Graecia aliisque regionibus usitatum mansit. Exitum leprae per hydropem etiam tradit J. FRANK (17). — Ne vero cum alio morbo confundatur haecce lepra, cum squamae huic characteristicae sint etiam e mente HIPPOCRATIS, qui propter peculiarem urinae conditionem furfuraceam e vesicae morbo dicit ἐλεπϱα την ϰυστιν (18). — Lepra haec est ALIBERTIO *Leuces* species.

---

(16) TH. BATEMAN, *Pract. Darstellung der Hautkrankheiten* a. d. Engl. von A. HAHNEMANN u. K. SPRENGEL, s. 63. HIPPOCRATES, *De humoribus*, p. 51.

(17) J. FRANK, *Praxeos medic.* P. I. Vol. III. Sect. 2. p. 253.

(18) HIPPOCRATES, *De morb. Epidem.* L. V. p. 1146.

Λευκη ante pubertatem, secundum HIPPOCRATEM metuenda non est (19), nisi congenita fuerit (*μὴ συγγενὴς*). Ex hisce igitur intelligitur, Leuces originem hereditariam etiam HIPPOCRATEM cognovisse. Pertinet ad periculosissimos et difficillimos morbos (20). Hicce morbus ab albo colore, quem maculae offerunt dictus est, et convenire videtur Leprae speciei, in sacra scriptura indicatae. Ab Arabibus ea cum elephantiasi sub Leprae nomine comprehendebatur. A CELSO hicce morbus commiscebatur cum quadam Vitiliginis specie alba, cum propriis verbis jam naturam alienam probet. Facile tamen talis error committitur, cum primo morbi stadio solummodo maculae albae conspiciantur.

Est igitur *Λευκη* Graecorum *Zaragnat* Hebraeorum atque *Bharasch* Arabum, quam Latino-barbari *Morphoeam* dixerunt. FRANK hanc *Lepram albam* nuncupavit; dein ALIBERT eandem sub nomine *Leucae vulgaris* sive *albae* descripsit. — AESCHINES hunc morbum memorat in Insula Delo epidemicum; quod patere videtur

---

(19) L. L. *Coacae praenot.* p. 201.

(20) L. L. *Prorrhet.* L. p. 424.

ex descriptione, quae legitur in illius (21) epistola ad Philocratem.

Loco *νουσος φθινικιη* legendum esse *φοινικιη* non solum patet ex sensu loci allati, sed etiam exegesi GALENI probatur, adeo ut hic sermo fiat de *morbo phoeniceo*, quem idem auctor *Elephantiasin* habet. Multa disputata sunt hac de re, cum apud Graecos serioris aevi occurrat hujus morbi insignis delineatio, uti apud ARETAEUM, ARCHIGENEM, qui eum summa cum diligentia descripserunt. Elephantiasis nomen quidem HIPPOCRATI cognitum esse non poterat, quia hoc a convenientia quadam cum elephanti dermate deductum sit, et haecce animalia, eo florente, nondum innotuissent Graecis. PAUSANIAS narrat *Alexandrum* primum in bello contra Porum elephantos vidisse. Attamen non obstat, quin morbus hic Medicinae patri notus fuerit, cum, uti LUCRETIUS cecinit:

---

(21) DEMOSTHENIS et AESCHINIS op. ed. Genev. 1607, p. 125. *Δηλιοι δε ενοσουν λοιμωδη τινα νοσον. τα μεν προσωπα επιμπλαντο λευκης καὶ τας τριχας λευκοι εγινοντο, οδε τραχηλας αυτων καὶ τα στερνα ανωδει, πυρετοι δε ουκ εγιγνοντο κ. τ. λ.* Causa tribuebatur Apollini irato, cum, contra veterum morem, hominem sepulirent.

Est elephas morbus, qui, propter flumina Nili
Gignitur, Aegypto in media, neque praeterea usquam (22).

Fuit igitur Elephantiasis morbus ab antiquissimis temporibus in India Orientali, Phoenicia et Aegypto endemicus. Sive nunc morbus nomen duxit a Phoenicia, uti hodie solemus dicere morbum gallicum pro syphilide, sive a colore phoeniceo aegritudinis, contendere possumus contra HENSLER (23) per phoeniceum morbum elephantiasin intelligendae ille, quam recentiores et Graecam dicunt eamque ab Arabica distinguunt, licet tum temporis hic morbus in Graecia nimus cognitus fuisse videatur. — Forte sub alio nomine reperiebatur. ARISTOTELES enim loquitur de morbo, faciei formam satyri impertiente Σατυρια (24); aliis auctoribus morbus hic *satyriasis* dictus fuit, ut e GALENO et ARETAEO perspicuum fit, qui simul nominis rationem dederunt. — Fuerunt, qui morbum phoeniceum haberent *morbillos*; id vero negans,

---

(22) LUCRETIUS, *De rerum natura*. L. VI. v. 1113.

(23) *Vom abendländ. Aussatz im Mittelalter, nebst einem Beitrag zur Kenntniss und Geschichte des Aussatzes*. Hamburg 1790, s. 201.

(24) ARISTOTELES, *Histor. Anim*. L. IV. p. 676.

WEDEL probare conatus est, per hunc intelligi *purpuram*, cum haec ex gravissimis morbis oriatur, atque febres typhosas pestimque comitetur, quippe HIPPOCRATES loco citato hujus originem a summe lethali morbo petit (25).

Ἐξανθηματα hic sensu generali sumenda sunt. Animadvertit etiam FOËSIUS in vocem, » *ἐξανθηματα* dicuntur HIPPOCRATI pustulae aut papulae et leves in cutem eruptiones, sive in ea extuberent sive eam non excedant sed tantum exasperent." Male igitur hic FOËSIUS *pustulas* vertit, cum minime talis eruptio hic intelligi possit. Multiplici sensu hac voce usum fuisse HIPPOCRATEM e sequentibus patebit:

» In febre, cum corporis jactura incipiens (*ασωδεσι*) et alvi turbulenta suppressione celeriter velut culicum puncturae in cutem erumpunt (*ἐξανθισματα οἷα κωνώπων κεντήματα*) et ad oculos lacrymosus abscessus procedit" (26). Nar-

---

(25) WEDEL, *Diss. de morbo phoeniceo Hippocratis.* Jen. 1702.

(26) HIPPOCRATES *Coac. praenot.* p. 208. *Ἀσωδεσι* addidi *πυρετοῖσι* in locum hunc obscurum intelligendum, quemadmodum etiam alibi occurrit e. gr. in Libro II. de morb. vulg. p. 1020, ubi etiam febris in Perintho epi-

rat auctor : Euphranaoris filio *τα ἐξανθηματα οἷα τῶν πωνώπων δηγματα* accidisse et paulo post febrem invasisse (27).

Ad vigesimum quintum febris biliosi nervosi diem exorta sunt *ἐξανθηματα δἰ ολιγου κνησμωδεα θερμα, ὥσπερ πυρικαυστα* (28).

Timonactis infanti fere bimestri *ἐξανθηματα* in cruribus, coxis, lumbis, et hypogastrio et tumores valde rubri exorta sunt. His sedatis, convulsionibus periit (29).

Capitis dolores, quae absque ulla causa visibili continuant, imprimis cessant si abcessus oriuntur, aut haemorrhoides aut *ἐξανθηματα*

---

demicae mentio fit, aestate saevientis, quibus circa septimum, octavum ac nonum diem, asperitates quaedam miliaceae, culicum morsuum fere similes, quae tamen non admodum pruriebant, in cute nascebantur et ad iudicationem usque perdurabant; ac ne eae quidem masculorum ulli eruperunt. *Εγενοντο τε ἐν τοῖσι θερινοῖσι πυρετοῖσι περι ζ' καὶ ἤ και θ' τρηχυσματα ἐν τῳ χρῶτι κεγχρωδεα, τοῖσιν πο καωνωπων γινομενοις μαλστα ἴκελα ἀναδηγμασιν, ου πανυ κνησμωδεα ταῦτα διετελει μεχρι κρισιος. ἄρσενι δὲ οὐδενι εἶδον τοιαυτα εξανθήσανται.*

(27) l. l. *de morb. vulg.* L. VII. p. 1235. In Phrenitico quodam l. l. p. 1229; in febre nervosa l. l. p. 1230. Casus supra memoratus repetitur in L. V p. 1161.

(28) l. l. L. VII. p. 1221.

(29) l. l. L. VII. p. 1238.

ἐν τοις σωμασι. Λυσιτελει δε και πιτυρωθεισα ἡ κεφαλη (30).

Τα πλατεα ἐξανθηματα ου πανυ τι κνησμωδεα i. e. exanthemata lata, raro pruriginosa (31).

Sileno febre gravissima nervosa laboranti, ex laboribus, compotationibus et exercitationibus intempestivis, octavo die sudor frigidus erupit, nec non *εξανθηματα μετα ἱδρωτας ἐρυθρα, στρογγυλα, σμικρα οἷτε ἴονθοι*, eaque permanebant nec abscessum faciebant (32).

Pluribus locis verbo *εξανθεῖν* utuntur Graeci ad quandam cutis eruptionem significandam. Eadem significatione etiam occurrit vox *ἐξανθισματα*:

» Quibus salsa sputa cum tussi subsistunt, iis corpus exanthematibus rubescit, ante obitum vero exasperatur (*ερυθαινεται οἷτε ἐξανθισματα*)" (33).

---

(30) l. l. *Prognost.* L. II. p. 109.

(31) l. l. Aph. 9. Sect. VI. p. 1256. Convenit cum hocce aphorismo observatio de Simone in aph. 22. Sect. II. Libr. VI. Epid. p. 1170.

(32) l. l. *de morb. vulg.* L. I. p. 970.

(33) l. l. *Coac. praenot.* p. 157.

» *Τα ἀμυχώδεα ἐξανθισματα, φθισιν ἐξιος σημαινει*" (34).

Quod nunc ad diversarum eruptionum explicationem attinet, brevis esse possum. Evidens enim est HIPPOCRATEM per exanthemata culicum morsui similia, febrem aliosque morbos concomitantia intellexisse, quae hodierni dicunt *petechias symptomaticas*, s. *purpuram contagiosam* WILLANI. Praeterea exempla hic exstant febris, cui *miliaria* accedebant, imprimis in Epidemia Perinthi critica; etiam aliis in locis mentionem fecit HIPPOCRATES miliarium sub sudore erumpentium: *ἱδρῶτες κεγχροειδέες*. Per nonnulla exanthemata hic *Erythema* indicatur, atque imprimis *τα ἀμυχώδεα* ad excoriationes sive *intertriginem* respiciunt, quae cachecticis tabeque laborantibus haud raro superveniunt.

Ex loco igitur supra allato patet doctrina HIPPOCRATIS de lichene, lepra et leuce; duae priores ab atra bile originem petunt, dum posterior ex affectione magis virulenta nascitur, uti et elephantiasis Graecorum. Simul indicat, multum interesse, num morbi hi primarii effor-

---

(34) l. l. p. 189.

mentur, quando apud juniores facilius curantur, an vero sint abscessus, vel critica ratione eruperint, credens exanthemata parva ad alicujus morbi solutionem non sufficere (35).

Jam vero locus de morborum per cutem solutione amplior exstat (36): »Quin etiam quae exterius in cutem abscedunt *φυματα*, *οἶτε ταγγαι και τα ἐκπυουντα*, aut *ἕλκος*, aut reliquae hujus generis eruptiones cutaneae, desquamationes (*λοποι*), *μαδισις*, *ἀλφος*, lepra aliaque hujusmodi, quae conferto et repenti quodam confluxu, non autem dimidiate et semirepente abscedunt, et quaecunque alia dicta sunt, etsi non indigne morbi mutationi. Ita Tamenei nepti ex valido morbo quiddam in digitum firmatum est, qui, cum morbo suscipiendo non esset, ex interno recursu obiit."

Φῦματα latiori sensu dicuntur omnes tumores, sponte geniti, atque in suppurationem vergentes. Habebantur interdum inter

(35) Hippocrates l. l. p. 946.

(36) l. l. p. 1002.

excretiones secundum naturam (37), abscessus critici in febribus (38), glandularum intumescentiae uti *τα χοιρωδεα φυματα* (39). Etiam pulmonum tubercula eodem sub nomine describuntur (40). Hoc in loco sermo fit de hisce tumoribus sensu latiori, sive in putrescentiam (*ταγγαι*) sive in suppurationem (*εκπυουντα*) abeant. J. FRANK sub *urticationis* nomine describit eruptionem cutaneam, sub triplici forma prodeuntem. Ea, quae tubercula alta, dura, basi inaequalia exhibet, constitueret *morbum tuberculosum*, *φῦμα* Graecorum. *Erythema nodosum* et *tuberculosum* BATEMANI esset hujus varietas. *Urticatio* ab omni parte distinguitur a sic dicta *urticaria*.

Λοποι (a *λεπω*) desquamationes epidermidis existunt; in libro de Arte: extrema cutis facies, epidermis nobis, *λοπος* dicitur.

---

(37) L. de alimento, p. 581.

(38) Aph. 44 et 45. Sect. IV. et aph. 65 et 66. L. VII; L. VI. de morb. vulg. p. 1176, p. 1165.

(39) Aph. 26, Sect. III; Prorrh. L. p. 95. Porro Aph. 8. S. VII; Epidem. L. VI. p. 1200. de suppurantibus tumoribus.

(40) *Coac. praenot.* p. 103; Lib. de art. p. 612 etc. Cf. *Oeconomia* FOESII in voce.

῾Ελκος sensu generaliori itidem obvium est, uti et apud HOMERUM, de quacunque solutione continui, excepta ossea, sive ab externa, sive ab interna procedat laesione. Praeterea peculiaris cutis eruptio sub hoc nomine intellexisse videtur HIPPOCRATES; numerantur enim inter morbos vernos *ἐξανθησεις ἑλκώδεεις* (41); etiam infantibus a pituitoso orirentur humore ad caput, aures et reliquum corpus tendente (42). Videntur ita indicari, quaedam species herpetis, eczematis, impetiginis vel porriginis, licet diversa sit horum forma elementaris.

Μαδισις dicitur de capillorum defluvio.

᾿Αλφος ab omni parte apud HIPPOCRATEM distinguitur a Leuce et Lepra, quacum ab auctoribus serioris aevi commiscebatur. Cum ab *ἀλφαινεω immuto*, derivetur, jure habetur *ἀλφος* simplex cutis decoloratio, absque asperitate, squamis et exulceratione. Etiam Arabes

---

(41) Aph. 20. Sect. III. p. 1248. parte distinguitur a sic dicta *urticaria.*

(42) Lib. de sacro morbo p. 304: *και ὁκοσοισι μεν παιδιοισι ἐοῦσιν ἐξανθεει ἕλκεα, ες την κεφαλην, και ες τα ουατα, και ες το αλλον χρῶτα* etc.

postea Alphum, *Albohak* dicentes, a Leuce et Elephantiasi, sub leprae nomine complexis, distinxerunt. Fuit etiam Graecis serioris aevi affectio levior. Descriptio, quam CELSUS sub eodem nomine tradit, convenit *Leprae alphoidae* WILLANI: *Alphos vocatur, ubi color albus est, fere subasper et non continuus, ut quaedam, quasi guttae dispersae videantur. Interdum etiam latius, et cum quibusdam intermissionibus serpit* (43). ALIBERT Alpho aliam tribuit naturam, benignam magis, eumque *Achroma vitiliginem* appellat. Etiam FRANKIO est *vitiligo alba.*

Quod evidens est, HIPPOCRATES non ita egit de cutis eruptionibus sensu nosographico, quam sensu prognostico, quo cognoscatur morborum per hasce solutio etc. Quod non solum e spuriis HIPPOCRATICIS operibus, sed etiam e quam maxime genuinis colligitur. Repeto sequentia:

» Quibus per febres assiduas *φλυζακια* toto corpore enascuntur, lethale est, nisi quid pu-

(43) CELSUS *De medicina*, L. V. c. 28.

rulentum abscedat. In his vero praecipue ad aures tumores nasci solent" (44).

» Empyemate laborantibus, cum ad articulos *φλυκταιναι* praerubrae superficiales enatae sunt, ac dein rigent, iis velut ex acceptis plagis cum dolore venter et inguina rubescunt et intereunt" (45).

Etiam ubi de capitis dolentis per cutis eruptiones solutione locutus est HIPPOCRATES, idem dicit inter alia: juvat etiam *πιτυρωθεισα ή κεφαλη*. Quibus vero per caput *ναρκαι και κνιδωσιες*, interdum per totum, interdum in aliqua parte percurrunt, saepius vero frigoris alicujus sensus caput pervagari videtur, ab iis sciscitari oportet, num etiam ad summam linguam pungens ille pruritus pertingat. Sic enim magnus morbus est, et qui aegre solvatur; alioquin vero facilis (46).

Φλυζακια, *φλυκταιναι* ab antiquis jam aliquomodo distinctae a se invicem fuisse videntur. *φλύζακια* autem GALENUS in exegesi dixit *ψυδρακια*. In genere vero haec ipsi HIPPOCRATI

(44) HIPPOCRATES *Coac. praenot.* p. 133. Consimiliter: *Ἐν πυρετοῖς συνεχεεσι φλυζακια κατα πᾶν το σῶμα εκφυει.*

(45) l. l. p. 195.

(46) l *Prognost.* p. 109.

non adeo diversa erant. *φλυξακια*, *απο τοῦ φλυζειν* bullas, quales igne excitantur, significant; *φλυκταιναι* vero a scriptoribus serioris aevi magis dicebantur pustularum genera, propter saniem tenuem, cutem erodentem et pungentem, quam retinent. Attamen et *φλυκταιναι*, procul dubio ab ita dictis *φλυκτεις* non distinguendae, de bullis valent, quales ab igne provocantur (47). — Inter symptomata febris hecticae, quae vomicam pulmonalem comitantur, etiam ab HIPPOCRATE *φλυκταινιδις* recensentur (48), quae alio loco dicuntur *ὥσπερ πυρικαυστοι διανισταντο* (49). Phlyctaenae lividae (*υποπελιοι*) accedebant filiae Aristophontis sub difficili judicatione morbi (50). — Ex omnibus collatis patet, nulla ratione e HIPPOCRATE

(47) L. de humoribus. p. 47; De morb. mul. p. 673. *αἱ απο καυματων ἐπεγειρομεναι φλυκτεις.*

(48) Coacae praenot. p. 183.

(49) Epidem. morb. L. II. p. 994: » Cranone carbunculi aestate grassabantur (*ανθρακες*). Per magnos aestus affatim et continenter compluit, idque austro magis. Sanies quidem plurima cuti subnascebatur, quae intro conclusa, dum incalesceret, pruriginem excitabat. Deinde vero in *φλυκταινιδες* erumpebant, iis affines, quae in combustis fieri solent. Tantus inerat sub cute ardoris sensus, ut uri viderentur."

(50) L. de morb. vulg. IV. p. 1129.

derivari posse, illi certam fuisse notionem de phlysaciis aut phlyctaenis, quae inprimis WILLAN quam accuratissime delineavit. Mirum igitur non est, varios auctores varias fecisse hypotheses de natura eruptionis cutaneae, quae proponi posuissent tali sub nomine. Imprimis, cum omnes fere febris comites sint, crediderunt, varia exanthemata ita indicata fuisse, quae ab hodiernis variolae, aut morbilli dicantur. BATEMAN φλυζακια supra commemorata variolas habet, attamen pro hacce thesi argumenta non tradit (51). Quantum autem desudarint auctores in eruenda prima variolarum cognitione, luculenter e litteratura, a Cl. J. FRANK collecta, apparet, qui simul varia loca ex HIPPOCRATE, atque ex aliis scriptoribus, notat, huc spectantia (52). » Istorum autem inquit, amplectimur opinionem (scilicet originem ab Arabibus petentium): si enim antiqui variolas cognovissent, eas sane instar reliquorum morborum adeo clare descripsissent, ut modo disceptationibus locus minime foret. Constat

(51) BATEMAN l. c. p. 110. THUCYDIDES, pestem Atticam describens, inter hujus symptomata etiam monet φλυκταιναι.

(52) FRANK l. l. p. 179. not. 4.

praeterea quodvis aevum suos cognoscere morbos, et hodiernum adhuc exstare regiones, in quas variolae haud dudum irruere." Minus autem ab HIPPOCRÁTE cutaneae eruptionis quaedam descriptio exspectari potuit, cum has, imprimis febribus accedentes, aut criticas aut symptomaticas habuit. Locus hic quidem hypothesibus determinandus non est; plura vero contra, quam pro argumento adduci possunt. — Peculiare genus constituit FRANK sub nomine *psydracii*, et ALIBERT genus sub nomine *Olophlyctidis* retinuit, *hydroam* et *sudamina* comprehendens, atque aliud sub *Phlyzacii* nomine describens.

Πιτυριασις hic intelligitur capitis morbus, qui etiam ab hodiernis ita appellatus est. FRANK hanc ad *Porriginis* speciem retulit; attamen non commiscenda est cum *porrigine* CELSII, qui eundem locum tradit (53). Concedere nequeo BATEMANO, qui etiam pityriasin *porriginem* dixit, cum *πιτυρον* furfur vertitur. Eadem observatio ab omnibus fere medicis comprobatur. Casus hujusmodi etiam

(53) Loquitur et HIPPOCRATES de eodem in L. de morb. Epid. IV. p. 1121, ut symptomate febris hyemalis.

mihi amica manu communicata est: Juvenis, ceteroquin omni respectu sanus, per plures annos, inde a decimo quinto aetatis suae anno, quaque aestate capitis dolore vexabatur. Hic plurimum epistaxi spontanea, interdum vero, cum gravior exstiterit, venae sectione aut hirudinibus levabatur. Doloris causa evidenter a sanguinea congestione pendebat; ceteroquin vero sub integra sanitate, plethorica haecce conditio solum a haematosi nimis vegeta derivari potuit. Per aliquod tempus diarrhoea accedebat spontanea ex abnormali affectione nulla derivanda, neque ab usu remediorum, cum nulla administrata fuerint; diu hac ratione cephalea sublata est. Postea lente effloruit capitis affectio furfuracea, pityriasis, atque rarissime caput illi dolebat.

Κνιδωσις secundum etymologiam urentem indicat pruritum, qualis ab urticis excitatur, adeo ut per hanc cutis eruptionem intelligenda sit sive *pruriginis*, sive *urticariae* species. Hoc nomen et retinuit ALIBERT ad eundum morbum indicandum. Hic species horum morborum chronicae interpretandae sunt.

Hippocrates, qui in universum ad aetates annique tempora tanta cum industria attendebat, neque minus neglexit eruptiones cutaneas hac ratione considerare. Sic inter vernales morbos citat: Lepram, Lichenes, Alphum, *εξανθησιες ἑλκωδεες* et phymata (54); inter aestivas: oris exulcerationes (*ἑλκωσιες*) et *ἱδρωα* (55).

Per aetates haec eveniunt: parvis ac recens natis, aphthae (56); aetate progressis, *ἀκροχορδονες*, *σατυριασμοι*, *χοιραδες* et alia phymata (57); senibus tandem *ξυσμοι του σωματος ὁλου* (58).

Consimilis locus in libro *Praedictorum* II exstat. Docet ibidem auctor ad cognoscenda ulcera in considerationem ducenda esse, hominum naturas, loca affecta, et colores. »Quod ad aetates autem attinet, tumores suppurantes oriuntur, et ut plurimum *φυματα χοιρωδεα* apud infantes; minus ac

(54) Aph. 20. Sect. III. p. 1248. *ἐξανθησιες ἑλκωδεες* videntur ad Impetiginis species pertinere.

(55) l. l. Aph. 24.

(56) l. l. Aph. 26. Cf. p. 202, 205 et 206.

(57) l. l. Aph. 31.

(58) l. c. p. 95.

difficilius haec nascuntur, cum aetate processerint; viris autem id genus tumorum non admodum fiunt, vero *κηρια δεινα; κρυπτοι καγκρῖνοι οι υποβρυχιοι, καὶ οἵ ἐκ των ἐπινυκτιδων ἕρπητες*, donec sexagesimum annum superaverint. Senibus vero ex hujusmodi tumorum nullus fit."

Ἱδρωα sunt sudamina, quae sub eodem nomine a J. FRANK describuntur. WILLAN haec interdum miliaria fuisse asserit, interdum vero constituisse sic dictam eruptionem: *Summer-rash* vel *Prickley-heat* a Doct. CLAGHORN descriptam (59). ALIBERT haec *Olophlyctidi hydroïcae* adjunxit.

Ἀκροχορδωνες Latinis dicuntur *verrucae pensiles*, sunt, uti GORRAEUS dicit, eminentiae dolentes, callosae, teretes, infra tenuiores etc. Differunt *απο ταις μυρμεκιαις*, quae formicae mordentis sensum inducerent, basi lata et nigro colore, eaque ablatae sanguinem fundunt. Describitur *verruca acrochordon* ab ALIBERT. RAYER monet s. d. *verrues pediculées*.

---

(59) WILLAN. l. c. p. 42 et 43.

Σατυριασμοι oblongi glandularum pone aures tumores, sic nuncupati a convenientia cum satyrorum effigie. Ne vero cum Elephantiasi confundatur, quam interdum seriores scriptores eodem nomine insigniebant.

Χοιραδες dicuntur omnes glandularum tumores, quos hodie scrophulosi tribuimus, eosque FOESIUS, CELSUM secutus, *strumas* vertit. Quia eadem affectio porcis esset familiaris, hoc nomen accepit.

Ξυσμος etiam aliis in locis *κνησμος* dicitur. Est haecce affectio hoc in loco *prurigo senilis* WILLANI.

Κηριον morbus est, qui ad favorum similitudinem ulcera constituit, cutem multis foraminibus perrodens, ex quibus humor mellis similis effunditur. Hinc idem morbus Latinis *favus* dicebatur. Est igitur *Porrigo lupinosa* WILLANI, s. *favosa* BIETT. RAYER peculiare genus sub *Favi* nomine describit.

Κρυπτοι καγκρινοι sunt affectiones cancrosae in organis internis; etiam ita dictae sunt,

quae exterius conspiciuntur, non vero exulceratae offenduntur. Graeci serioris aevi hisce vocibus peculiaribus insigniunt cancrosam uteri affectionem(60). Familia tertia ALIBERTI continet *dermatoses cancrosas* atque *καρκινος* sive carcinus genus primum constituit. — *Καγκρινος* et *καρκινωμα* synonyma sunt in opere Hippocratico. Statuit HIPPOCRATES hunc morbum ante pubertatem non orientem, nisi congenitus fuerit (61).

Επινυκτιδες, pustulae lividae, ut PLINIUS docet, nocte inquietantes. Auctore RAYER, fuit peculiaris endemicus Graeciae morbus, et hujus mentionem fecit inter, ut propriis illius verbis utar: *maladies disparues*. Apud CELSUM imprimis accuratissima exstat hujus morbi descriptio, e qua et illustratur ulcerum origo, de

---

(60) » Quibus cancri occulti oriuntur, eos non curare praestat. Curati namque cito pereunt, non curati vero diutius perdurant." Aph. 38. L. VI. Luculentur haec dicta sunt de *cancere occulto*, qualis et hodie dicitur, qui sub applicatione remediorum, praesertim externorum, exulceratur, atque per hanc viam aegri vitam eo citius extinguit.

(61) Coac. praenot. p. 291.

De Carcinomate pectoris Epid. L. V. p. 1162; in faucibus l. l. p. 1238; in utero, de Nat. mul. L. p. 570.

quibus HIPPOCRATES loquitur (62). Multa de genere *Epinyctide* apud ALIBERT reperiuntur. — Olim crediderunt Epinyctidem esse *Urticariam tuberosam*. Attamen ab hac longe diversa est haecce cutis affectio. Probabilior apparet SPRENGELII opinio, epinyctidem fuisse herpetis speciem (63), nocte imprimis, etiam verno tempore vel aestate prodeuntem. Hujusmodi naturae etiam est sic dicta *Mal. de la Rose Asturien.*

Sub curatione morbi cutanei ad corpus universum attendendum esse, monet HIPPOCRATES, dicens v. gr.: » Cum fauces aegrotant aut phy- » mata in corpore oriuntur, secretiones in con- » siderationem habendae (64). Si namque bilio- » sae sint, corpus aegrotat; at si sanorum simi- » les exstiterint, secure corpus nutrias."

Multa egregia etiam tradita sunt in libro, qui de aëre, aquis et locis agit. Recenset ibidem epinyctidem, *φαγεδαινας* propter aestatem humidam etc. (65). — *Phagedaena* est ul

(62) De morbis intern. p. 560.
(63) BATEMAN l. c. p. 162 not.
(64) Aph. 15. Sect. II. p. 1144.
(65) L. de *aëre*, *aq. et loc.* p. 281.

cus exedens, quod saepius in libris Hippocraticis offenditur (66), *Herpes exedens* a KRAUS, ab aliis *Lupus* vocatur, dum ab ALIBERT inter *Esthiomeni* genus recensetur. — Neque omittendum est, HIPPOCRATEM etiam ex forma eruptionis cutaneae prognosin constituisse (67).

Antiqua et scholae hippocraticae propria doctrina de quatuor humoribus in Libro de *Affectionibus*, Medicinae Patri haud indigno, exponitur. Ibidem et de morborum cutaneorum origine sequentia prostant: Lepra, prurigo, ψῶρα, lichenes, alphus, alopecia a pituita oriuntur. *Εστι δὲ τα τοιαῦτα αἶσχος μαλλον ἤ νουσηματα;* favus, scrophulosis, *φυγεθλας και δοθιῆνες, και ανθραι, απο φλεγματος φυεται* (68).

De natura vero incerta eruptionum catanearum auctor alius sic disserit: ulcus, ἐσχαρη, sanguis, pus, sanies, lepra, furfur, ἀχωρ, lichen, alphus,

---

(66) Cf. *Oeconomia* FOËSII in voce.

(67) Aph. 4 et 9. Sect. VI. Libr. VI. *Epidem.* p. 1070.

(68) *De affect.* Sect. V. p. 525.

ἕφηλις, interdum quidem laedunt, interdum vero juvant, est ubi neque laedunt, neque juvant (69). — » Fluxum haemorrhoidalem juvare a phagedaenis, δοθιῆσιν vel τέρμινθοισιν, forte a lepra, multisque aliis hujusmodi. Intempestive tamen curati multi, brevi hujusmodi morbis correpti sunt, eamque ob causam perniciosi habuerunt (70)." — Excretionibus secundum naturam annumerantur: Θυμον, lepra, tumores, et cancer.

Ψῶρα perverse cum *scabie* recentiorum confunditur. Nullibi apud Graecos accurata hujus morbi descriptio offenditur. Cum a Graecis duae species indicentur *ψωρα ἑλκωδες* et *ψωρα λεπρωδες*, priorem retulit RAYER ad *impetiginem*, alteram ad *psoriasin*, vestigia WILLANI atque BATEMANI secutus. Ceteroquin ex opusculis HIPPOCRATES certiores hoc de morbo fieri non possumus. Locutus quidem est de palpebrarum et vesicae urinariae psora, eo forte sensu, quo intelligatur earum partium erosio cum

69) *De alimento* p. 381; εσχαρη est ulcerum crusta, qualis caustico vel ferro candenti producitur.

(70) *Epidem.* L. VI. p. 1176. L. *de humor.* p. 56.

pruritu secundum originem etymologicam vocis.

Φυγεθλα per *panum* ob similitudinem vertunt, secundum CELSUM, qui hunc accurate descripsit. Secundum PAULUM AEGINETAM esset, explicante GORRAEO, *Erysipelas phlegmonodes.* ALIBERT furunculi speciem *panulatam* descripsit.

Δοθιεν est *furunculus*, tumor *αποστεματωδης*. Distinguitur *απο του τερμινθου.* Latinis est *Terebinthus* ob similitudinem cum hujus arboris fructu. Est furunculi vel phymatis species. Mimine concedendum est cl. ALIBERT, qui hunc *Mycosin Fungoidem* habet; quippe haec originem syphiliticam habet. Sunt terminthi excrescentiae nigro-viridescentes, quae secundum HIPPOCRATEM praesertim ad crura oriantur (71). WILLAN terminthum posuit in ordinis: *Tuberculorum* genere *phymate.*

Ἄνθραξ morbus est indeterminatus in operibus Hippocraticis. Non improbabile mihi vi-

---

(71) De *morb. vulg.* L. II. p. 1012.

detur ea voce *anthracum* intelligi, qualem RAYER descripsit a *carbunculo* longe diversum. *Carbunculus* CELSI apud RAYER sub nomine *pustulae malignae* offenditur. Anthrax hicce benignus est forte *Furunculus vespayus* ALIBERT. — Ceteroquin ex aliis locis per anthracem verum carbunculum intelligi, non opus est, ut moneam (72).

'Αχωϱ est *crusta lactea*, potius *porriginis* species WILLANI. Peculiare genus ALIBERT sub hoc nomine constituit. Secundum CELSUM non multum a *favo* differret. Secundum BIETT est *impetigo larvalis* vel *granulata*.

'Εφηλις, eruptio, qualis a solis influxu producitur; etiam accideret lienteria laborantibus (73), et faeminis gravidis (74), diversos colores exhibens. Hodiernis consimile macularum genus *ephelis* dicitur. Eadem a FRANK

---

(72) De *morb. Epid.* L. I. p. 97; L. II. p. 994; L. IV. p. 1029.

(73) *Prognost.* L. II. p. 105. παντοια χϱωματα εχονσας.

(74) *L. achis, quae uterum non gerunt.* p. 677. L. *de morb. mul.* L. II. p. 667. amygdreae amarae in curationem laudantur.

sub *Lentiginis* nomine describitur. *Ephelis* ab ALIBERT *pannus* dicitur. A recentioribus WILLAN, aliisque: *Chloasmus*, *pityriasis versicolor* etc.

Θυμος sic dictus, qui thymi corymbum referret parumque differret a *συκῳ*. Aliis *Θυμιον* appellabatur. Audit FRANKIO *verruca carnea* s. *mollusca*, BATEMANO *molluscum pendulum*. RAYER thymum parum a condylomate diversum habet, et inter syphiliticos morbos ponit (75).

Ex hucusque explicatis nunc patet, frustra apud HIPPOCRATEM morborum cutaneorum descriptionem quaeri, eoque minus systematicam quamdam dispositionem. Plures tamen sub eodem generico nomine, cum ad visum externum convenirent, comprehensae erant cutaneae eruptiones. Nomina ut plurimum derivata sunt, sive a natura ipsa, sive a forma

(75) Excrescentiae, quae a fici similitudine acceperunt (*συκα*) oculis adnascebantur atque visum obscurum reddiderunt. Recensetur inter sequelas epidemiae (*De Epid.* III. p. 1085) febris ardentis et phrenitidis, aphthae, phymata, bubones, anthraces, ecthymata et herpetes.

externa, sive a similitudine cum aliqua re externa.

Exceptis iis, qui e diversis citatis locis apparent morbi cutanei, alii etiam reperiuntur in operum Hippocraticorum collectione, quemadmodum *Erysipelas*(76); *Erythemata* ad nares, genas, collum, qua symptomata prognostica vel diagnostica febribus, diarrhoeis, haemorhagiae; *ἐρυθηματα ὑποπλατεα* in peripneumonia, etc(77). Duplicem indicant conditionem *ερυθηματα* HIPPOCRATIS, sive simplicem ruborem, sive morbum erysipelati valde affinem. Recensentur porro *Eczema*, *Ecthyma*(78) et *Excoriationes*

---

(76) L. *de prisca med.* S. I. p. 16; *Praenot.* L. p. 45 etc.; Erysipelas gangraenosum Aph. 20 S. VII. etc.

(77) *Coac. praenat.* N. 126, 138, 185, 315, et 231; Epidem. L. I. p. 991 etc. Cf. *Oeconomia* FOËSII in voce. SPRENGEL apud BATEMAN p. 194.

(78) Ecthyma secundum vocis *εκθυλατος* etymologicam originem parum ab exanthematibus diversa haberi possunt. » Lactanti *εκθυλατα* per totum corpus erupuerunt, quae » ad aestatem conseduerunt, ubi lactare desiisset" (*Epid.* L. II. p. 1013). Latinis Echthymata *pustulae* dicuntur, adeo ut incertum sit hujus, pro hodierna artis conditione, denominatio, num forte pertineant ad *Ecthyma* WILLANI, an ad aliquam Lichenis speciem vel *Phlyzacion* ALIBERTI.

ad pudenda (79). — Cognita illi fuit *Herpes Labialis* vel *hydroa febrilis*, eruptio ad labia in febribus critica (80). — *Scarlatinam* HIPPOCRATI haud ignotam fuisse, ex interpretatione variorum locorum derivare conatus est READ (81). — Pariter multum disputatum est, num *pemphigus* HIPPOCRATI notus fuerit, imprimis a ROBERT (82), ne moneam alias eruptiones, quarum notio probabilibus quidem argumentis erui potest. *Pompholyx* vero intelligi videtur eruptione, quam HIPPOCRATES hisce verbis describit: πομφοι ὡς ἀπο κνιδης (83).

Ad *Eczemata* WILLANI forte referri potest locus in L. *de humorum usu* p. 426. de cutanea eruptione, quam nonnulli αιθολικας (in text. θορηκας) dicunt. Cf BATEMAN p. 370.

(79) *De nat. muliebri* I. p. 582.

(80) *De morb. epid.* L. V. p. 1201. n. 41.

(81) *Histoire de l'esquinancie gangréneuses pétéchiale qui a regné dans le Village du Moivron* 1777. p. 18. Pertinerent huc Sec. 17. aph. 37, 48; *de morb. Epid.* p. 1075.

(82) CORVISART *Journ, de méd.* 1812.

(83) *L. de morb.* II. p. 485; *L. de morb. mul.* II. p. 641. Cf. BATEMAN l. l. p. 225.

Restat, ut quaedam hisce subjungamus, de morbo sub ἑρπητες nomine apud HIPPOCRATEM obvio (84). Sub herpete intelligebantur varii morbi cutanei, imprimis in exulcerationem proni. Graecis duae erant species: ἐσθιομενος s. exedens et κεγχριας, s. miliaris (quorum prior etiam a Medicinae patre discribitur) priorem *Lupum*, alteram *herpetem miliarem* s. *phlyctenoidem* dicit RAYER, WILLAN et BATEMAN eosdem ad HERPETIS reducunt varias species. ALIBERT haec disserit de dermatosium familia herpetica, in germanam linguam traducta: Wircklich scheinen diese Arten von Ausschlägen seit einigen Jahrhunderten ungemein viel haüfiger geworden zu seijn, wenn man aus dem Stillschweigen schliesst, dass die ersten Väter der Kunst in dieser Beziehung beobachten. Zu HIPPOCRATES Zeiten sah man sie für seltene und unerhörte Erscheinungen an; es erschienen damals wohl von Zeit zu Zeit einige leichte Ausschlagskrankheiten; aber diese Ausschläge waren gewissermassen eben nur das augenfällig-

---

(84) Aph. 23. Sect. V; *Lib. de Legend. usu.* 427; *Pragnost.* L. II. p. 98; *Coac. praenot.* p. 220; *Epidem.* L. II. p. 1024.

ste Symptom gewisser Epidemischer Fieber. Die menschliche Haut hat sich so nach in Folge unserer fortschreitenden Verderbniss verändert; die Makeln, welcke sie schänden, sind einere der traurigen Folgen unserer ungeordneten Lebensweise; denn die Natur hat die Hülle des lebenden Körpers keineswegės darum mit so viel Geschick gewoben, damit sie Krankheiten zur Beute werde (85).

TANTUM.



(85) Alibert l. l. T. II. p. 3.

THESES.

I.

Neque HIPPOCRATI, *neque* CELSO, *neque aliis medicis, saltem ante Arabum aetatem,* scabies *nota erat.*

II.

Concedere nequeo statuentibus: HIPPOCRATEM *aliosque medicos Graecos* variolas *cognovisse.*

III.

Entozoa generatione sic dicta spontanea sive aequivoca in corpore humano oriri, statuo.

IV.

Haemorrhoïdalis fluxus, Lithiasis et Arthritis ex uno eodemque fonte prodeunt.

THESES.

V.

Morbi contagiosi e matre in foetum transeunt.

VI.

Foetus solo Amnii liquore non nutritur.

VII.

Calor animalis non ab uno fonte oritur.

VIII.

Contagium gonorrhoïcum a syphilitico differt.

IX.

Perforationes intestinorum non immediate vermibus producuntur.

X.

Auscultatio per stethoscopium non semper certum exhibet graviditatis signum.

XI.

Gastro-hysterotomia vulgo optime per lineam albam perficitur.

THESES.

XII.

Mediam uteri partem cum carnea tela maxime convenire statuo.

XIII.

Resectio sive trepanatio indicata est, si fractura processuum spinosorum cum impressione et paralyseos symptomatibus elevatorii ope restitui nequit.

